

276

274

280

270

285

265

325

225

375

175

portionata videntur. Inter alia dicunt, eam fuisse pulcherrimam et invitatam ab Apolline ad convivium ab eo que sibi lactucas agrestes appositas, quas cum comedisset cum desiderio, illico praegnans effecta est peperitque Heben filiam sine viro. Supra hanc insulam contra aquilonem declinando in orientem est Pathmos insula, non inter orbem Cycladum, in quam S. Johannes evangelista relegatus exilio dicitur, ibique Apocalypsim conscripsit, a qua directa navigatione contra orientem in Asiae loca venit et in Cariae provinciam, in qua est Ephesus. Caria regio ab oriente habet Lyciam, et est Caria dicta a Carro, rege primo ejus, qui adinvenit primo carros vel bigas aut currus, et fuit primus auriga fuitque filius Erebi et Noctis, quem fixere veteres esse factum post mortem nautam infernalem, qui animas morientium ad profundiora Erebi transfert per Acherontem fluvium.

In hac Caria est civitas Halicarnassus, in qua sepulchrum fuit tam magnificentum, ut inter septem orbis spectacula computaretur, quod quandam foemina suo viro construxit defuncto. In ea provincia est Ephesus, ut dixi, in qua S. Paulus et S. evangelista Johannes mira egerunt. De hoc habetur Actor. XIX. In ea regione fuit primus S. Pauli discursus, ut patet in Actibus Apostolorum.

Porro plures sunt adhuc insulae Cycladum, et multae inhabitabiles. De istis dicta sufficiunt ad praesens, in sequentibus adhuc plura de his insulis veniunt dicenda.

De reliquiis Rhodiensium vide Fol. 172.

Sexta decima, quae dominica erat XXVI. post Trinitatis, in noctis medio solvimus galeam a portu rhodiensi et profecti sumus cum satis bono vento et ante diem Carpathum insulam et Cesi transivimus, illucescente autem die vidimus insulam Choa dictam, quam iam vulgo Longo vocant, unam de Cycladibus, quandam celeberrimam, in ea enim equi optimi cognoscuntur, velocissimi, et securi; unde regibus ad longinas partes describuntur, etiam ipsi ditissimo Salomoni, regi Jerusalem, ut habetur 3 Reg. 3. Ars etiam lanificii secundum Isidem dicitur ibi primo inventa, et vestes lineae.

Ende

Anfang

